



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Epitome Instituti Societatis Jesu**

**Sesti, Curtius**

**Bruxellis, 1690**

Sect. II. De Sacramentorum Administratione, & præcipuè Pœnitentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

riis suscipiantur, commendanda sunt Viris probatis, in Vocatione stabilibus, discretis, & benè instructis, & qui aliis ædificationi sint: cujus rei gratia Provincialis, præsertim sub finem studiorum, intelliget qui ex nostris, & quomodo se Externis communicare debeant. e Præ-  
 terea ut eadem Ministeria ritè obeantur ex Decret. 107. Con. I. Directoria plura confecta sunt, suis infrà locis citanda.

e P. 4. c. 10. §. 10. & R. Prov. 97.

S E C T I O II.

*De Sacramentorum Administratione, & præcipuè Pœnitentiæ.*

1. **D**E Ecclesiis Societatis, quæ ad auxilium animarum admittuntur f aliquid superiùs dictum est Par. 3. Cap. 7. Sect. 1. ubi de Domibus Professis agebatur; cum ad has potissimùm pertineat sacra Ministeria, ad animarum auxilium, frequentare; in Ecclesiis verò Collegiorum, tunc tantummodò usurpanda sint; quando in eadem Urbe nulla est Domus Professa; nec ultra quàm Superior judicaverit. g Pro Ecclesiis autem conservandis, curandisque videndæ sunt Regulæ Præfecti Ecclesig, & Aeditui.

Ecclesia Societatis.

f P. 6. c. 2. §. 2.

g P. 3. c. 1. §.

27. & P. 4. c. 8.

§. 1. & P. 7. c.

4. §. 10. & R.

Prov. 101.

2. Jam



*Confessiones au-  
dire, & ad id  
designatio.*

*h P. 7. C. 4. §. 5.  
& C. 6. D. 38.  
& C. 7. D. 30.  
§. 11. & C. 13.  
D. 16. & R.  
Prov. 26. &  
100. & Præf.  
Eccl. 13. &  
Sac. 9. & In. 3.  
§. 1.*

*Dispositio ani-  
mi, & Doctri-  
na Confessario-  
rum.*

*i P. 4. C. 3. §. 4.  
& D. & P. 7.  
C. 4. §. 5. & R.  
Sac. 8. 9. &  
11.*

*Scientia in pe-  
culiaribus sa-  
cultatibus nsur-  
pandis.*

2. Jam cum inter Ministeria, quæ exercentur plerumque intra nostra Tempia, Sacramentorum administratio præcellat; primò juvandus est Proximus præcipuè in audiendis Confessionibus: ad quas Provincialis dabit operam, ut maturi ætate, & multò magis spiritu, & moribus huic muneri addicantur. Immo ipsius est eos constituere; præmissis tamen domestico examine, & approbatione Ordinariorum, juxta Concilium Tridentinum. *h*

3. Debent autem Confessarii, sic designati, esse multum affecti erga hoc sanctum Ministerium: illudque, tanquam nostri Instituti valdè proprium, magni facere. Sciant quam facultatem ad hoc munus habeant. In casibus conscientiarum, iisque præsertim, quæ ad censuras, casus reservatos, restitutiones pertinent, sese diligenter exercent; earumque rerum compendium, & brevem interrogandi methodum, ac contra singulorum peccatorum species exempla, & dicta Sanctorum, atque alia salutaria remedia comparare studeant. *i* De scientia prærequisita vide dicta P. 2. C. 5. Sect. 6.

4. Sed in particulari modum hoc Sacramentum ministrandi perspectum habeant; in eoque sint uniformes, quan-  
tum



tum Regionum varietas patietur : formam tamen ; & rationem absolvendi ab excommunicatione , & aliis censuris , & peccatis eandem omnes sequantur : eaque pro foro conscientiae petenda à Directorio P. Polanci. Sed in foro exteriori (si aliquando contingat id esse præstandum ex delegatione Prælatorum) sequantur formulam in eo Episcopatu receptam. Attendantque , ne, ex modo utendi facultatibus Societatis, Ordinarii , & Parochi jure offendi possint. ¶ Facultates autem , quibus Societatis Sacerdotes instructi sunt , in ordine ad Confessionem , petantur è Compendio Privilegiorum Societatis , addita interpretatione DD. propter recentiorum Pontificum Decreta.

5. In ministrando autem hoc Sacramento quædam curanda. Vocati ad Ecclesiam , ad Confessiones audiendas , statim , cum animi alacritate , eò se conferant : & quo major Poenitentium , & præsertim Pauperum , multitudo futura est : eò magis tempestivè ab aliis occupationibus se expediant. ¶ Ut habeatur autem sanitatis ratio , Confessiones matutinas ultra horam prandii non producant , nisi necessitas aliud exigat. ¶

6. Mutuum cum Poenitentibus aspectum

1 P. 4. c. 4. D.  
& C. 5. D. 21.  
& R. Sac. 10.  
& 12. & In. 3.  
§. 14.

*Alacritas, &  
moderatio.*

m R. Sac. 13. &  
21. & In. 3. §.  
11. & R. Æd.  
14.

n R. Sac. 21.

*Gravitas.*



o R. Sac. 15. &  
In. 3. §. 2.  
p R. Sac. 17.

q R. 19. & 25.  
& In. 3. §. 12.  
r R. 20.

s In. 15. c. 2. §.  
8. & In. 3. §.  
10.

*Prudentia.*

t R. Sac. 23.  
24.

u R. Sac. 23.  
24.

Etum fugiant, & interposita tabula, aut saltem manu, eos audiant; mulieres autem ad crates tantum. o Paterna quædam gravitas in eis eluceat, & cum sceminis potius severitas, quam familiaritas. p Instituunt quidem diligenter Pœnitentes, & fructu eorum spirituali potius gaudeant, quam numero; sed nullius curam, aut Obedientiam suscipiant; nec ullum vestimenti genus, aut colorem, illis præscribant; q & gratum sibi ostendant, si pœnitentes ad alium Confessarium migrent. r Immo expediret, occasione Missionum, aliquam illis libertatem dare mutandi Confessarium; & ne sit fructus exiguus, si perpetuò cum nonnullis Devotulis occupentur. s Reliqua servanda. occasione hujus Ministerii, ad castitatis præsidium, vide supra P. 4. C. 2. Sect. 2.

7. Considerate quisque procedat, dum super Votis ad perfectionem conducentibus consulitur, & ad ea emittenda neminem inducat: nec facile, ad Religionem propensos, ad unam potius, quam ad aliam invitet. t Nemini vel petere, vel accipere quidquam liceat restituendum satisfactionis nomine, vel in pauperes erogandum; nisi Superior, cum opus est, secus faciendum duxerit. u Sed ut ad proprium usum, &



& dispositionem accipiatur, Superiores concedere facultatem nequeunt. x

x C. 6. D. 21.  
& C. 12. D. 39.  
& Or. c. 4. §. 9.  
*Cum moribus quid praestandum.*

8. Qui vocantur ad juvandos eos, qui morti vicini sunt, ea in promptu habeant; quæ eo tempore, in quo tantum est momenti, usui esse possint: tamdiuque illis adsint, quamdiu sola necessitas postulabit: etsi, cum opus est, ægrotos ad condenda testamenta hortari conveniat, iis tamen conficiendis non assistant. y Tempore pestis designandi, qui proximis juvandis vacent. z

y P. 4. c. 8. §. 7.  
& G. & R. Sac. 28,  
z R. Prov. 99.

9. Quia verò in parvis Collegiis questi sunt aliqui, non satis esse occupationum pro Sacerdotibus; legenda Instructio quarta, ubi plures indicantur, quibus ubique Sacerdotes utiliter tempus impendant. a

Otium vitandum.  
a Inst. 3. §. 15.  
& Cl. c. 1. tit. 2. §. 4.

SECTIO III.

De Confessariis Principum.

1. IN Persona deligenda ( si quando id officium declinari nequeat ) hoc servandum est; ut, qui à Principe expetitur, quamquam se paratum poscenti respondeat, rem tamen integram Provinciali reserves. Cujus erit ( si modo hominem idoneum reputat ) priusquam potestatem faciat,

Quomodo designandi.

X ciat,